

**1979-06-18 – SS Ioannes Paulus II – Nuntius Gratulatorius 'Aestimatio Diuturni'**

**NUNTIUS GRATULATORIUS IOANNIS PAULI PP. II  
ERMENEGILDO S.R.E. CARDINALI FLORIT,  
XXV EPISCOPATUS ANNUM COMPLENTI**

Aestimatio diuturni operas episcopalnis tui, Venerabilis Frater Noster, Nos impellit, ut has tibi mittamus Litteras, quibus gratulanten mentem Nostram tibi aperiamus in vicesimo quinto Episcopatus tui die natali. Una tecum cupimus ante omnia summo Deo gratias agere plurimas de omnibus beneficiis quibus iter tuum conspersit; etenim Nos non fugit qualia et quanta commoda tu, caelitus sustentatus, adferre potuisti clero ac populo tuo regimini concredito.

Nos iuvat tecum recordatione prosequi illud tempus praeteritum ex quo tu, sacerdos ordinatus ac vix laurea donatus, ingenio, viribus studioque omni ad salutem animarum procurandam naviter es operatus in pago vulgo Palmanova appellato. Romam dein vocatus, apud Pontificiam Universitatem Lateranensem paeclarata dedisti specimina magistri sana doctrina enutriti atque verbo Dei; et iuvenes sacerdotium adfectantes sapienti atque aequa moderatione rexisti.

Archiepiscopus demum titulo Hieropolitanus in Syria constitutus, Coadiutorem egisti Ecclesiae Florentinae, quam, aliquot post annos, velut hereditate accepisti ut eam in vias Domini duceres.

In sacrum Cardinalium Collegium adlectus, Ecclesiae Dei inserviisti religiosa administratione difficilium negotiorum, quae eiusdem dicionis pastoralis gubernatio attulit.

Fraternam proinde laudationem Nostram de Episcopatus tui curriculo et opere cupimus Nos, Venerabilis Frater Noster, ex longinquo admiscere benevolentiae officiis, quibus Florentina communitas te afficiet in sollemnitate santi Ioannis Baptiste.

Interea tibi in primis, sollemnia anniversaria celebranti, Archiepiscopo Ioanni Benelli eidemque S. R. E. Cardinali, clero, populo, iisque omnibus, quos caros habes, Apostolicam Benedictionem divinae benevolentiae signum singularisque Nostrae dilectionis testem, peramanter impertimus.

*Ex Aedibus Vaticanas, die XVIII mensis Iunii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**